

nales comperiantur. Sit igitur gnomon fgh , ex duobus directis
regulamentis ligneis aut æreis compositus quæ rectum com-
plectantur angulum fgh . In horum altero regulamētorum aliud
quoddam accommodetur normale ik , quod iuxta i , signū pertun-
datur quodam foramine cui cōmittatur regulamentū gh , gno-
monis fgh , sic ut normale ik , adhærens regulamento gh , ad
rectos angulos nunc versus g , quandoque versus h , volui queat.

His itaque præstructis, si datis duabus rectis lineis velut ab ,
 bc , libeat binas sub eadem medias ratione cōtinue proportio-
nales inuenire. Datæ itaque rectæ lineæ ab , bc , ad rectos angu-
los, adinuicem coniungantur in puncto b , & reliqua sint dispo-
sita ut ante, & instrumentū hoc sic accommodetur ab , bc , rectis,
ut gnomonis fgh , latus fg , iaceat super c , & g angulus ipsi b e-
cohareat atque angulus i , consistat super bd , versatile denique nor-
male ik , veniat per a , signū, sic ut g , punctus superponat ipsi
 c , atque i , signum iaceat super d , his itaque cōcinnatis inter ab , bc ,
compertæ iterum erunt huius officio instrumenti binæ propor-
tionales mediæ bd , bc , cuius demonstratio eadē est cū priore.

VT NICOMEDES in tractatu de conchoïdibus.

Instrumentū fabricare quo inflexæ quædā lineæ quæ conchoï-
des appellatæ sunt describuntur. Nicomedes huius instrumē-
ti fabricam tradidit in quodam libro quem de cōchoïdibus in-
scripsit, in quo quidem libro vir ille mathematicarū cognitione
rerum excellens et venerandus multo plura videtur excogitasse
quàm Eratosthenes, atque longe argutiora inuenisse. Quapro-
pter ille ad geometriæ scientiam aspirantibus haud parum pro-
fuit. At super propositi fabrica instrumēti sic demū locutus est:
Accipere igitur conuenit binā regulamenta sub eadem spissit-
udine accuratius decussata & planata leuigataque, sic ut eandē
habeant planam superficiem, quæ quidē regulamenta sint ab ,
 cd , deinde in ab , canalis seu fissura aut rimula quædam fiat se-
curis effigie, in qua quidem rimula seu canali cuniculus aptetur,
quem vir ille græce chelidonū aut chelonarium vocat quod instar
testudinis aut limacis quæ chelone a græcis appellatur repat super
 ab , regulamēto. Aptetur inquam ad ab , rectam lineam ut in ipsa